





DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE

977
1772/8
16
PECVNIA
AD EMENDVM CREDITA
PRIVILEGIATA ET NON PRIVILEGIATA

QVAM
INDVLTV
ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
IN ALMA LVDOVICIANA
PRAESIDE

D. IO. CHRISTOPH. KOCH

ACADEMIAE PROCANCELLARIO
PROF. IUR. PRIMAR. ET COM. PAL. CAES.

PRO
GRADV DOCTORIS
RITE ET MORE MAIORVM OBTINENDO
DIE XII. MARTII MDCCLXXII.

H. L. Q. C.
PVBLICO PROCERVVM EXAMINI
SVBMITTIT

A V C T O R
IOANNES GEORGIVS FRIDERICVS RVMPEL
MOENO - FRANCOFVRTENSIS.

GISSAE,
apud IOANNEM IACOBVM BRAVN, acad. typogr.
recusa MDCCLXXXII.

AD EMBRYUM CREDITA
P. C. N. I. A.
D. N. O. CHRISTOPH KOCH
STADT-DOCTORE
KÖNIGLICHEN UNIVERSITÄT
WÜRZBURG
1794
KÖNIGLICHEN UNIVERSITÄT
WÜRZBURG
1794
KÖNIGLICHEN UNIVERSITÄT
WÜRZBURG
1794



SACRI ROMANI IMPERII
LIBERAE REIPUBLICAE MOENO - FRANCOFVRTENSIS
SENATVI AMPLISSIMO

VIRIS

*PERILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS,
PRAENOBILISSIMIS, CONSVLTISSIMIS,*

DOMINIS

PRAETORI

CONSVLIBVS

SCABINIS

SYNDICIS

SENATORIBVS

ET

EX EORVM NVMERO NOVEM

QVI

*AVGVSTISSIMI IMPERATORIS
CONSILIARII ACTVALES SVNT
PATRIAE PATRIBVS SPECTATISSIMIS
PATRONIS MAECENATIBVS*

DOMINIS SVIS

PERQVAM INDVLGENTIBVS

FELICITATEM ET INCOLVMITATEM
PERPETVAM
PIETATIS ET HONORIBVS CAVSA
PRECATVR
STVDIORVMQVE
HAS PRIMITIAS
DAT DEDICAT CONSECRAT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR PERPETVVS

AVCTOR.



DISSERTATIO IURIDICA INAUGURALIS
DE
PECUNIA
AD EMENDVM CREDITA
PRIVILEGIATA ET NON PRIVILEGIATA




§. I.
INSTITVTI RATIO.

Mos pro summis in vtroque iure honoribus obtinendis, speciminis cuiusdam Academici elaborationem eiusque defensionem exigit publicam. Hanc ipsam ob causam, de pecunia ad emendum credita privilegiata & non privilegiata, pauca differere apud animum constitui. In vtramque haec materia disceptatur partem,

A

&




& hac ratione argumenta dissentientium eorumque refutationem, quantum breuitatis studio fieri potest, quantumue vires patiuntur, in medium proferre studebo. Te itaque beneuole Lector! vt specimen hoc benigniter accipias oro rogoque.

§. II.

DESIGNATIO GENERALIS CREDITORVM CONCVRRENTIVM.

Quemadmodum in concursu, e variis credendi caussis, varii adesse solent creditores: ita diuersis inter se quoad locum gaudent iuribus. Inter illos nempe, qui sub *creditorum* nomine (eorum enim, qui *res suas iure dominii* vindicant, separata plane est conditio) de prioritare loci in concursu contendere solent, non vna, sed secundum *ius commune* quintuplex generatim statuitur differentia, ex qua *quinque* formantur classes seu ordines. Et enim creditores vel ius pignoris s. hypothecae habent, vel non. Si prius, creditores *reales*, *hypothecarii*, *pignoratitii*, *consentite*, *Psand* & *Gläubiger*; si posterius, *personales* vocantur. Creditores *reales* s. *hypothecarii* vel gaudent hypotheca, s. pignore *pruilegiato* s. *qualificato* vel *simplici*. Illi creditores *hypothecarii pruilegiati*; hi, *hypothecarii simplices* nominantur. Creditores *personales* vel *pruilegium singulare praelationis* s. *pruilegium absolute tale*, vel *pruilegium*



gium exigendi, vel neutrum habent. Illi, absolute priuilegiati; isti, personaliter priuilegiati s. priuilegiarii *νατ' εξουσι*; hi simplices s. nudi, s. mere chirographarii, s. chirographarii 1) appellantur. Creditores personales absolute priuilegiati classem primam; creditores hypothecarii priuilegiati classem secundam; creditores hypothecarii simplices classem tertiam creditores personaliter priuilegiati classem quartam; creditores simplices s. chirographarii denique classem quintam occupant. In qualibet classe pluribus singulis creditoribus locus competens assignatur: sed id latius persequi, ab instituto meo nimis recederet. Consule, si tua interest, ex scriptoribus de *processu concursus creditorum* praecipue IO. BRUNNEMANN. & IAC. FRID. LUDOVICI. Adde AVGVST. de BALTHASAR 2) &, qui scite appellatur *communis contradictor*, personatum ANTONIVM a MARA s. qui verus auctor est, ELIAM SCHNEGAS 3). Potius, quum ad materiam de *priuilegiis creditorum* mea se flectat disquisitione, pauca de priuilegiis praemittere mihi liceat.

- 1) Aliquando appellatio creditorum *chirographariorum* latius sumitur, & omnes creditores complectitur, qui iure pignoris carent, ergo personales tantum sunt, licet priuilegiarii. Vid. l. vn C. etiam ob chirogr. pec pignus. At in significato speciali chirographariorum nomine veniunt creditores tantum personales omni priuilegio carentes, L. 38. §. 1. D. de reb. aut. iud. possid. ac, siue chirographum habeant, siue alio modo probent creditum, perinde est.

2) *rr.*



tr. de classificatione creditorum in concursu. Gryphiswald.
1767. 4.


- 3) tr. de concursu creditorum in foro civili formando, in quo
creditorum iura praelationis, prioritatis & privilegii — de-
monstrantur, oppositus sententiis CARPZOVII, MEVH, GALLII,
STRVVII, &c. Brunsvigae 1689. 4.

§. III.

PRIVILEGIORVM IN GENERE DEFINITIO.

Priuelegiorum in genere multos in iure inuenimus
significatus. *Priuelegium in genere tanquam constitutio-
nem specialem, scilicet, qua intuitu certarum rerum vel
personarum exceptio fit a regula, definimus.* Quando
exceptio fit intuitu certi generis, tunc priuelegium
dicitur generale siue *ius singulare vel constitutio secun-
dum quid generalis* 1). Tale ius singulare vel con-
stitutio secundum quid generalis est vel rerum vel
personarum, quatenus intuitu rerum vel persona-
rum concessum est. Si autem exceptio a regula
intuitu *indiuidui alicuius* fit, tunc haec specialis con-
stitutio dicitur *priuelegium speciale* siue *priuelegium in
specie*. Subdiuisionem huius priuelegii in *fauorable*
& *odiosum*, quum a disquisitione mea plane sit alie-
na, silentio praetereamus. Quod denominationem
concernit, alii priuelegium a *priua* & *lege* 2) alii
quasi priuarent legem, quia contra legis dispositionem
aliquid statuit, ducunt 3).

1) L. 24.



- 1) L. 24. ff. de testamento militis L. 42. ff. de administrat. tu-
torum.
- 2) GELLIVS in N. A. l. 10. c. 20.
- 3) GEORG. ACAC. ENENCKELIVS *Baro HOHENNECCIVS in tr.*
de priuilegiis iur. ciuit. Ratisb. 1720. 4. GEORG. CHRIST.
GEBAVERVS in *diff. de priuilegiis.* Goetting. 1749.

§. IV.

PRIVILEGIA IN CONCVRSV OCCVRRENTIA.

Patet ex iis, quae §. 2. proposuimus, in *con-
cursu creditorum* in loco iis adsignando *tria* praeci-
pue occurrere priuilegia. *Primum* est, *priuilegium*
absolute tale; *alterum*, *priuilegium pignoris* s. *hypo-
thecae*; *tertium*, *priuilegium exigendi* s. *personale*
conf. CHRISTOPH. PHILIPP. RICHTERVS in *tr. de*
iure & priuilegiis creditorum. Ienae 1668. 4. PETRVS
VANDERANVS in *comment. de priuilegiis creditorum*
in T. II. *Thef. Meerman* p. 671. seqq.

§. V.

PRIVILEGIUM ABSOLVTE TALE.

Priuilegium absolute tale vocatur illud, vi cuius
quidam creditores *personales* in *prima* classe collocan-
tur, adeoque creditoribus *hypothecariis*, etiam *priu-
ilegiatis*, praeferuntur. Appellatur a quibusdam Do-
ctoribus *singulare praelationis ius* s. *priuilegium*. Se-
cundum *ius Romanum* vnice haec praerogatiua
B com-



competere videtur *impensis funeris* 1). Reliqua enim credita, quibus *hoc privilegium* hodie adscribitur, ex *moribus & legibus patriis* illo gaudent 2).

1) per l. 45. D. de relig. & sumt. funer.

2) BACHOV ad WESENB. eod. tit. lit. 9. & tit. de priuil. cred. lit. h. WESTPHAL in *rr. vom Pfand-Recht* §. 146.

§. VI.


PRIVILEGIUM PIGNORIS S. HYPOTHECAE.

Priilegium pignoris s. hypothecae illud dicitur, vi cuius quoddam pignus s. hypotheca aliis pignoribus s. hypothecis, simile privilegium non habentibus, sine *respectu temporis indistincte* praefertur & locum in *secunda* classe obtinet. Requiritur vero, vt *ipsi pignori s. hypothecae* privilegium praelationis concessum sit, vt statim in §. seq. ulterius expone-
mus.


§. VII.

PRIVILEGIUM EXIGENDI S. PERSONALE.

Priilegium exigendi illud appellatur, vi cuius quidam creditores personales reliquis creditoribus simplicibus s. chirographariis nullo temporis habito respectu praeferuntur, & in classe *quarta* collocantur. Mox in legibus vocatur *priilegium exigendi* 1), mox *priilegium nat. exorn* 2). Doctores illi nomen *priilegii personalis & priilegii personalis simplicis*
indi-




indiderunt 3). Hoc vero *exigendi priuilegium* sollicite distinguere debemus a *priuilegio pignoris* s. *hypothecae* (§. 6.). Prius enim non operatur praerogatiuam prae creditoribus *hypothecariis simplicibus*, ne tunc quidem si cum hypotheca coniunctum sit. Etenim non valet consequentia: *creditor ob idem debitum habet hypothecam & priuilegium exigendi*, ergo *eius hypotheca est priuilegiata*. Vtique enim differt *priuilegium pignori* s. *hypothecae datum* & *priuilegium exigendi* s. *personale*. Exempli causa; *Respublica* generatim habet *priuilegium exigendi* s. *personale* 4). Pingamus nunc, ob idem debitum reipublicae *pignus datum esse*. Nihilominus *hypotheca manet simplex*, & *sine iure praelationis* 5). Idem dicendum est de eo, cuius pecunia praedium comparatum probatur, quod ei pignori esse specialiter obligatum *postea, non vero statim*, conuenit. Hic enim creditor, licet ex nostra sententia *priuilegio exigendi* gaudeat, eique praeterea praedium comparatum *specialiter pignori postea obligatum* sit; attamen *non habet priuilegium pignoris* 6). Exinde ergo conficitur, erroneam eorum esse doctrinam, qui, si *ius pignoris* & *priuilegii exigendi* ob idem debitum *concurrunt*, pignus ipsum priuilegiatum esse aiunt, ut pignoribus simplicibus tempore prioribus indistincte praeferatur 7). Potius dicendum est, illam qualitatem s. praerogatiuam specialiter & nominatim *ipsi pigno-*



ri a legibus debere esse concessam 8). Id sane expeditum videtur, inuerso modo valere consequentiam a *privilegio pignori dato ad simplex privilegium personale* s. *exigendi*, quum a *maiori* ad *minus* recte procedat conclusio, neutiquam vero a *minori* ad *maius* 9).

- 1) l. 24. §. 1. D. de reb. aut. iud. L. 25. D. de reb. cred. l. 1. D. de cess. bon.
- 2) l. 26. ff de reb. aut. iud. poss. l. 9. §. 1. l. 42. 44. §. 1. D. de administr. tur. l. 52. §. 1. D. de peculio l. 1. §. 14. ff de magistr. conu. L. 15. §. 1. D. de curat. furios.
- 3) *auth. quo iure C. qui potior. in pign. Doctores ad tit. D. de rebus aut. iud. poss & WOLFFG. ADAM LAVTERBACH diff. de privilegio creditorum personali simplici. Tub. 1662. Inuenitur in EIVS dissertationibus iunctim editis Vol. II.*
- 4) l. 38. §. 1. de reb. autor. iud. possid.
- 5) l. 8. D. qui potior. in pignor.
- 6) l. 7. C. qui pot. in pign.
- 7) HAHN ad WESENB. tit. qui potior. in pign. n. 3. STRVV. Exercit. 36. th. 21. LAVTERBACH in Colleg. theoret. pr. lib. 20. tit. 4. §. 13.
- 8) BACHOV. in tr. de pignrib. lib. 4. c. 8. & c. 11. n. 2. LAVTERBACH. in cit. diff. §. 55. VANDERANVS c. l. cap. 8. WESTPHAL. c. l. §. 168. not. 186.
- 9) WESTPHAL l. c.

§. VIII.




§. VIII.

PRIVILEGIUM EXIGENDI CVR A DOCTORIBVS PERSONALE
VOCETVR? ALIO SENSV DIVIDITVR IN REALE ET PERSO-
NALE.

Privilegium nostrum cum personale vocetur, tractationem notionum vocis personalis a disquisitione nostra, ad sensum quo hoc loco venit, determinandum, haud esse alienam, putamus. Vox enim personalis multis in iure venit significatibus. Quodlibet *Ius*, siue quidquid ad personam ita restrictum, ut cum ea stet & existere desinat, dicitur *personale*. Is est *strictissimus* vocis personalis *significatus*, vi cuius ius personae concessum ad solum eiusdem personae exercitium restrictum est, & neque in successorem vniuersalem, neque singularem transit. Hoc sub significato seruitutes personales, quae mortuo illo, cui competebant expirant, comprehenduntur. Etiam vox personalis hoc in iure venit significato, quod non ita ad personam, cui concessum ius sit restrictum, sed ad successorem vniuersalem, vnam cum testatore personam representantem, transit I). Minime autem talia iura ad singularem successorem transire possunt. Veritas huius propositionis per totum ius sese exserit, cum nempe successor vniuersalis, per iuris fictionem cum testatore pro vna persona habeatur, etiam in

B 3

omnia



omnia testatoris iura, nisi ad testatoris personam sint adstricta, succedere debet. Quo potissimum actiones ex obligatione descendentes pertinent 2). Quod primum & quidem strictissimum privilegii personalis attinet significatum, non vnum sed plura in legibus inuenimus exempla, quando ob personae fauorem, nullo rei habito respectu simile privilegium indultum 3). Talis fauor in pupillo cui ob aetatem varia indulta sunt privilegia sese exserit 4). *Ex pluribus tutoribus in solidum vnum tutorem iudex condemnavit: In rem suam iudicatus procurator datus privilegium pupilli non habebit, quod nec heredi pupilli datur, non enim causae sed personae succurritur, quae meruit praecipuum fauorem.* Idem de omnibus privilegiis ad personam privilegiatam adstrictis, dicendum, non enim causae sed personae, quae meruit praecipuum fauorem succurritur. Nunc, ut significatum *personalis* huc pertinentem tangamus, superest. Nam non ob hanc causam privilegium nostrum dicitur personale, ut semper ad personam sit adstrictum, sed ab *effectu*, quia effectus inter *personales* creditores producit, vi cuius creditor tali privilegio munitus ante chirographarios solutionem exigit, iisque, minime autem hypothecariis, praefertur. Nam privilegium de quo differimus, nulum tribuit ius in re, sed creditores tali privilegio praediti, ius in re habentibus e diametro opponuntur,



tur, & hanc ipsam ob causam, nostro priuilegio cognomen *personalis*, adpositum fuit 5) quia ex iure personali agunt 6). Alio tamen sensu hoc, quod Doctores vocant *personale*, diuidi potest in *reale* & *personale*, si nimirum ad *causam impulsuam* & *subiectum proximum* s. *immediatum*, cui cohaeret, respicimus. Etenim si ipsius crediti cuiusdam fauor meruit hanc praerogatiuam, vt ipsi credito immediate cohaereat, atque cum causa in possessores omnes transeat, *reale*; si vero conditio & fauor creditoris cuiusdam huic priuilegio locum facit, idque personae immediate ita adhaeret, vt cum persona stet & cadat, neque in successores transeat, *personale* vocatur 7) sic *priuilegium exigendi reipublicae creditrici* datum, est *personale*; idem vero priuilegium *actioni depositi directae* concessum, est *reale*. Quod doti olim competebat, *reale*; quod *pupillis* & *minoribus* concessum erat, *personale* audit. Igitur contradictorium quidem non est, si priuilegium hoc *personale* appellamus, idque alio sensu *reale* esse posse statuimus; interim ad omnem aequiuocationem adparentemque contradictionem euitandam melius esse videtur, cum legibus loqui, ideoque terminum *priuilegii exigendi* adhibere.

1) CARPZOV P. 3. const. 26. def. 12. IDEM in *pract. rerum crim.* P. 2. *quaest. 65.* SCHNEIDEWIN de *actionibus* §. 29. n. 68.

2) L. 10.



- 2) L. 10. §. 7. ff. quib. mod. ususfr.
- 3) RICHTER *Decisiones* P. 1. p. 55. n. 3. & 4. *Nov.* 48. L. 2. §. ex bis ff. de V. O.
- 4) L. 68. & 196. ff. de R. I. L. 42. ff. de adm. & per-
tur.
- 5) LAVTERBACH *diff.* de priu. credit. simplici. §. 3 - 5.
- 6) H. PISTOR L. 3. §. 15. n. 16.
- 7) LAVTERBACH in cit. *diff.*

§. IX.


ORDO DICENDORVM.

His praemissis ad ipsam thematis nostri vber-
riorem explicationem progrediendum est. Cum in
concurso quoad *classes* creditorum constituendas,
tria adsint privilegia, (§. 4.) ita sequentem tracta-
tionem ordinabimus, vt intuitu *illorum trium privi-
legiorum, an? & quatenus?* pecunia ad emendum
credita vno ex illis gaudeat, disquiramus. Praeci-
pue autem admonendi sumus, in hac materia secun-
dum *ius Iustinianicum* separandos esse *Argentarios*
ab aliis creditoribus. Ergo primo de argentariis,
deinde de aliis creditoribus.

§. X.

PRIVILEGIUM ARGENTARIORVM AD REM EMENDAM MUTVVM
DANTIVM.


Inter alia plura privilegia *Argentariis* conces-
sa,



sa, inuenimus & illud ius singulare, iis a IUSTINIANO datum, si mutuata ab ipsis pecunia res empta sit. Continet id Nou. 136. c. 3. cuius integra verba hic subiicere lubet: Porro neque illud abs re dicere visi sunt, si cuipiam mutuentur, aut etiam praeterito tempore mutuati sint ad nonnullorum mobilium aut immobilium rerum emptionem, & certam auri summam dederint, & mutuata pecunia res empta sit, ut prorsus ea in re potiora iura habeant, neque distorsione aliqua tenentur, sed simul ac ostenderit suis pecuniis eam rem comparatam esse, neque possint debitores pecunia ipsis numerata satisfacere: res istiusmodi pecuniis empta perinde ipsis addicatur, quasi reuera ab ipsis emptio celebrata foret, & nuda emptoris appellatio fuisset apposta. Neque enim iustum est, ut qui tam largiter pecunias suas profundunt, non item primum & extra omnem controuersiam positum ordinem in rebus sua pecunia comparatis teneant: dumtaxat si in contractibus scriptura interueniente celebratis, hypothecae aliqua facta sit mentio. Hoc namque si obserauerint: totum habituri sunt, quod a nobis petierunt: imo vero etiam amplius, quam petierunt; siquidem omnibus praestantiora ipsis iura in iis rebus concedimus quae ipsorum pecuniis emtae probantur. Si tamen contractus factus sit, aut fiat, nulla scriptura interueniente, ipsique vel pecuniam numeratam dederint, vel (quod maxime apud argentariae mensae praepositos fieri consuevit) species aliquot mundi

C

forte



forte muliebris aut argenti, quod ob eiusmodi datur
 venditurae, pro quo tamen pretium nondum percepe-
 rint: tunc liceat ipsis haec tanquam sua vindicare, etsi
 hypothecarum ius in iis non habeant. Neque enim illi
 possidebunt aliena: & cum aurum pro pretio non solue-
 rint, frustra detinebunt ea, quae ipsis ab aliis tradita sunt:
 sed siue ad heredes transierint, heredes eorum pro
 ipsis, vel ipsa data reddent: siue ad heredes non peruene-
 rint, licebit haec ipsis vindicare, nulla contra ipsos hy-
 potheca in eorum rebus, quae per alios forte quaesitae
 sunt, valitura. Non subscribimus sententiae HERM.
 HVBERTI 1) censentis, hoc ius adeo singulare non
 esse, sed creditoribus omnibus commune ex Nou.
 97. & l. 7. C. qui potior in pignore. Nam primo
 argentariis dominium ipsius rei, & praestantiora iu-
 ra addixit IVSTINIANVS; deinde sufficit, vt aliqua,
 vel generalis vel specialis hypothecae mentio sit facta;
 tertio perinde est, siue res emta sit mobilis, siue im-
 mobilis. Quae omnia aliter se habent in l. 7. C. qui
 potior. in pignor. (§. 13). Et in Nou. 97. c. 3. IV-
 STINIANVS nouum priuilegium iis creditoribus,
 quorum pecunia res emta est, nullatenus dedit, nec
 dare voluit (§. 12.). Ceterum priuilegia haec a
 IVSTINIANO argentariis concessa, nostris temporibus
 non quadrant 2), si vel maxime etiam HVBERTO 3)
 concedamus, argentarios fuisse priuatos homines,
 nec, quod plures arbitrantur, publica auctoritate
 crea-

creatos. Sed si etiam nostrorum temporum argentariis supra relatum privilegium non denegare velle-
mus, tamen ad hos solos restringendum, non vero
ad alios creditores extendendum foret.

Schol. De argentariis videbis IO. GOTTF. SIEBERI *diff.* II. de
argentariis eorumque imprimis officio. Lips. 1737. & 1739.
HERM. HVBERT *diff.* II. de argentariis veterum in Vol. II.
T. I. OELRICH. *Thesaur. diff. iurid.* Belg. Lips. 1770. 10.
GEORG. ESTOR *diff.* de permissio & verito collybe &c. Mar-
burg 1754.

1) c. I. p. 127.

2) HVGO DONELVVS in Comment. iur. ciu. XXIII. 7. FRANZ-
KIVS ad tit. D. de edendo n. 15. sqq. STRYK in *Vf. mod.*
eod. tit. §. 19.

3) c. I. pag. 30. sqq.

§. XI.

EI QVI NON EST ARGENTARIVS ET AD REM EMENDAM CRE-
DIDIT NON COMPETIT PRIVILEGIVM ABSOLVTE TALE.


Tale enim privilegium nec *lex* nec *usus fori*
eiusmodi creditori tribuit, ergo nec in nostra po-
testate est, illud priuata auctoritate creditori ad-
scribere.

§. XII.

NEC HYPOTHECA TACITA. NE PVPILO QVIDEM CREDITORI.
IMO NEC CREDITORI IN MILITIAM.

Sunt quidem plures ICti 1) qui ius *taci-
tae*

C 2



tae hypothecae ei, qui ad rem emendam credidit, vindicare volunt ex *Nov. 97. c. 3.* Sed verius est, *IUSTINIANVM*, qui in *cit. loc.* vnice de *praelatione* creditorum hypothecariorum concurrentium agit, creditoribus ibi relatis nullam dare voluisse hypothecam tacitam, sed eum supposuisse, iis creditoribus cum vxore concurrentibus ius hypothecae, siue *expressae*, siue *tacitae*, aliundae competere 2). Imo aliae leges clarae repugnant 3). Hypotheca vero tacita sine lege statuenda non est.

Sed quid dicemus de *pupillo*, cuius pecunia res emta est? Scio quidem, quosdam *ICTOS* hic *vniversam tacitam* statuere hypothecam & quidem cum *privilegio* 4). Sed res ita tenenda est: vel comparat quis suo nomine rem pro pecunia pupillari ipsi mutua data, vel pro pecunia quae pupilli adhuc propria est. Si posterius, vel tutor id facit, vel alius e. g. mandatarius, actor, pecuniam pupilli detinens: si *tutor* est, pupillus non solum *utilem rei vindicationem* habet; sed & *hypothecam tacitam privilegiariam* 5). Si *alius*, pupillo datur *hypotheca tacita privilegiata* 6). Si vero cuidam pecunia pupillaris, siue *ad emendum*, siue *simpliciter*, credita est, isque rem quandam illa pecunia comparauit, tunc *pupillo creditori* nullibi data est *tacita hypotheca* 7). Posterior casus ad nostram disquisitionem pertinet. Agimus enim de *pecunia ad emendum credita*.
Deinde

Deinde & eam pecuniam, quae in emendam militiam 8) credita est, privilegiam perhibent, ut hypothecam tacitam creditor habeat 9). Sed inuito iure hoc statui, assero 10); quamvis creditori qui in militiam credidit, & sibi de hypotheca speciali in instrumento prospexit, pignoris privilegium non abnegem 11): de quo tamen in §. 14. dicendi locus est.

- 1) GAIL lib. 2. obs. 12. n. 3. GERDES in *diff. de pignor. tac.* §. 21. ANTON a MARA c. l. p. 138. 179.
- 2) BACHOV c. l. l. 1. c. 12. n. 3. HARTM. PISTOR. l. 3. q. 15. LAVTERBACH in C. T. P. l. 20. tit. 2. §. 81. & in *cit. diff.* §. 27. LEYSER sp. 485. n. 3. VANDERANVS c. l.
- 3) l. 17. C. de pignor. l. 7. C. qui potior. in pignore.
- 4) RICHTER c. l. c. 3. S. 4. n. 18. CARPZOV P. I. Const. 28. def. 109.
- 5) l. 2. D. quando ex facto tut. l. 3. D. de reb. eor. qui sub tut. l. pen. C. de seruo pign. dat. manum.
- 6) l. alleg. 7. & pen.
- 7) LAVTERBACH in *Coll. th. pr.* lib. 20. tit. 2. §. 51. 52.
- 8) Militia hic non intelligitur armata l. sagata, sed rogata. Est enim hic militia officium eorum, qui in aliqua schola inter statutos relati sunt, in obeundis Principis vel Rei. publicae negotiis operam nauantes, vnde salaria, annonae & commoda a Principe consequuntur: ut sunt Agentes in rebus, Scriniarii, Laterculenses, Adiutores Quaestoris,
C 3 Silen-



Silentiarii, Tribuni & Praepositi numeris. Haec officia palatina plerumque vendi poterant & ad successores transmitti, ideoque & admittebant *pignus* & in *pignore privilegium*. Conf. ALCIATVS in *Praetermissis* lib. 1. voc. *militia*. LAELIVS TAVRELLIVS in *diff. de militiis ex casu* in T. IV. *Thes. Orton.* p. 1634. CHARONDAS lib. 1. *Verisim.* c. 14. in T. 1. *Thes. Orton.* p. 714. AVERANIVS lib. II. *Interpret.* c. 17. VINNIUS in *tr. de collat.* c. 13. WESTENBERG in *diff. III. de portione legitima* c. 6. §. 7. van ECK in *princip. iur. civ. sec. ord. Dig.* lib. 20. tit. 4. §. 6. HVBER. in *Prael.* ad *Dig.* lib. 20. tit. 4. §. 10.

9) in quam rem allegant l. f. C. de *pign. Nou.* 53. c. 5. *Nou.* 97. c. 4. NEGVSANTIUS de *pignor.* P. 2. m. 4. n. 164. BACHOV c. 1. lib. I. c. 12. n. 4.


10) Cum LAVTERBACHIO in *Coll. th. pr.* lib. 20. tit. 2. §. 84. ibique allegatis RICHTERO, DONELLO, a BEYMA, STEPHANO & GOTHOFREDO.

11) ob c. 4. *Nou.* 97.


§. XIII.

PIGNVS TAMEN EXPRESSVM CONVENTIONALE, QVOD CREDITORI, CVIVS PECVNIA PRAEDIVM, NON VERO RES MOBILIS, COMPARATVM EST, STATIM SPECIALITER IN PRAEDIO COMPARATO CONSTITVITVR PRIVILEGIO GAVDET.


Licet vero leges romanae creditori, cuius pecunia comparatum est praedium, *tacitam* haud largiantur hypothecam (§. 12.), *pignori* tamen *conventionali expresso privilegium* suo modo datum est in
l. 7.



l. 7. C. qui potior. in pignor. cuius verba ita fluunt. Licet iisdem pignoribus multis creditoribus diuersis temporibus datis priores habeantur potiores: tamen eum, cuius pecunia praedium comparatum probatur, quod ei pignori esse specialiter (obligatum) statim conuenit, omnibus anteferri iuris auctoritate declaratur. Requiritur ergo a) ut pecunia credita sit ad comparandum s. emendum. Siue pecunia mutua data fuerit ante perfectam emtionem, siue perfecta quidem, sed nondum per traditionem consummata venditione, perinde esse videtur, dummodo credita sit pecunia, antequam res emtori tradita sit i). Hoc sane expeditum est, quod is, qui alteri creditit simpliciter & non ad comparandum praedium, hoc pignoris priuilegio non gaudeat, licet debitor pecunia mutuata praedium comparauerit, idque postea creditori specialiter pignori obligauerit b). ut mutuata pecunia comparatio actu facta s. pecunia versa sit in illam causam; quod creditor, si de eo dubitatio existit, probare debet c). ut comparatum sit praedium. Etenim l. 7. cit. vnicę de praedio loquitur. Sub praedio autem intelligimus rem natura immobilem 2). Ergo rerum mobilium eadem hic non est conditio. Et quamuis in c. 3. Nou. 97. creditoris, cuius pecuniis nauis comparata est, mentio fiat, manifestum tamen est, IUSTINIANVM eo loco confusim proponere plures creditores, quibus noua iura dare noluit, sed refert se ad
ad



ad priuilegia a legibus data. Ergo ad leges anteriores respiciendum est, & speciatim in eo, de quo agimus casu, tota quaestio decidenda est ex l. 7. cit. 3). Interim, si vel maxime concedere velimus, secundum Nou. 97. c. 3. praeter aedificium & agrum & si quid horum i. e. res immobiles, nauem quoque huc pertinere; tamen priuilegium pignoris, & quidem saluis reliquis in l. 7. cit. contentis requisitis, vnice de nauis, non vero de aliis rebus mobilibus, accipiendum esset. De nauis enim, in cuius fauorem leges quoque priuilegium exigendi dederunt, (§. 15.) ad alias res mobiles, non recte ducitur consequentia. d) vt praedium comparatum pignori specialiter obligetur creditori. Specialiter inquam. Nam pignus generale eundem effectum non habet. Nec obstat l. 17. C. de pign. ibi: nisi specialiter vel generaliter. In hac enim lege sermo non est de pignore priuilegiato, sed de simplici. e) vt statim de pignore conuenerit i. e. simulac pecunia mutuata, & antequam res emta debitori tradita fuerit. Pignoris ergo, etiamsi specialis, constitutio, post traditionem factam, secuta priuilegium non habet annexum. Priuilegium enim, quod tali pignori tribuit lex, descendit ex eo, quod creditor in re illa praeuertat causas omnium aliorum, & antequam in debitoris bonis esse incipiat, creditori quasi obligata sit 5). Tria adhuc monendi restant. Primum est, quod con-




constitutio pignoris fieri debeat legitime secundum iura & mores cuiusque loci 6). Quodsi factum non est, pignus efficaciam non habet. Inde recte iudicavit *Illustris Scabinatus Francofurtensis* in sententia, quam in fine dissertationis legis. *Aterum* est, quod privilegium pignoris tantum cohaereat *pignori speciali* in re pecunia mutuata comparata constituto, non vero *pignori generali*, si tale cum pignore speciali coniunctum esset. *Tertium* est, quod praedio, specialiter pignori obligato, extincto, *pignus hoc privilegiatum* pereat 7).

- 1) STRYK ad BRUNNEM. *Proc. concurs. cred.* c. 5. §. 40. n. 9.
- 2) GOEDDAEVS in *Comm. de Verb. signif.* p. 380. & 830. sequicatur. in *Vocab. iur.* sub voce *praedium*.
- 3) LEYSER Sp. 485. n. 3.
- 4) *Navis* est res mobilis. l. 20. §. 4. D. *quod vi aut clam* l. 1. §. 6. & 7. D. *de vi & vi armata.* PAUL. VOET. in *tr. de rebus mobilibus & immobilibus* c. 6. n. 7.
- 5) *Dissentit* CUIACIUS ad cit. l. 7. & WESTPHAL. c. 1. §. 158. p. 232. qui ita ratione suas subducit: da der Grund des Vorranges nicht in der Art der Verpfändung, sondern in der Achtung liegt, so man gegen die Art der Forderung hat, so kann es gleichgültig seyn, ob die Verpfändung eine allgemeine oder eine besondere ist. Sed petitionem principii huic ratiocinio inesse persuasum mihi quidem est. Non enim vnice in *crediti, qua talis, fauore*, sed & in *pignoris specialis qualitate*, quod rem obligatam magis afficit, quam generale pignus, ratio privilegii huius pignoris posita est. Conf. HERTIVS in *diff.*

D

de



de differentiis pignoris generalis & specialis. Crediti huius fauor operatur quidem priuilegium exigendi, sed in se tantus non est, ut producat pignoris priuilegium. Nec ipse WESTPHALIVS concedit a concursu hypothecae & priuilegii exigendi ob idem debitum competentis ad pignus priuilegiatum recte argumentum duci (§. 7.). Nosram sententiam tuetur ANTON. FABER in *Coniecturis* l. 8. c. 11. & communis ICtorum schola.

- 6) STRYK c. l. WESTPHAL c. l. LAVTERBACH in cit. diss. §. 29.
 7) LEYSER l. c.
 8) l. 138. ff. de R. I. VANDERANVS e. l. CAROL. FRID. WALCHIVS in *diss. de priuilegio pecuniae in refectionem aedium creditae*. c. 3. §. 12.

§. XIV.

PARI MODO PRIVILEGIO GAUDET PIGNVS, QVOD CONSTITVTVM EST EI, QVI AD EMENDAM MILITIAM CREDITIT.

Pignoris quoque priuilegio gaudet creditor, qui ad emendam militiam (§. 12) pari modo pecuniam credidit, sibi que hypothecam specialem in illa militia in instrumento constitui curauit. Ita enim IVSTINIANVS in c. 4. Nou. 97. sanxit: Quia vero & huiusmodi quaedam aditiones nobis factae sunt, eo quod quidam aliorum militant pecuniis, & oportet eos qui in has crediderunt causas praeponi: sancimus, si quis crediderit aurum occasione militiae, siue statutum fieri, vel pro aliis quibusdam talibus causis: & expressim hoc ipsum scribatur in instrumento: & in hoc fiat pactum, ut casu proueniente, prior sit solus,


solus, qui ad hoc credidit: Et huic solo casui cedere mulierem: neque facile credendum, neque per testes, sed negotio ex scripto gesto, Et testium habente subscriptiones, Et ipso opere procedente: tunc enim, si per omnem huiusmodi viam causa procedat, suspicionem non habeat, Et competit contrabentes propriis non priuari; aliis omnibus praeualere mulierem, secundum quod iam a nobis eis datum est privilegium. Vtrum vero hoc privilegium nostris moribus quadret, & iis creditoribus hodie adhuc usum praestet, qui ad emendum officium s. dignitatem, cui *salarium* & commodum cohaeret, pecuniam crediderunt, de eo acriter inter Ictos disceptatur. Alii affirmant 1); alii vero negant 2): & horum sententiae ego subscribo; quamvis priorum opinio in praxi ubique fere regnet.

- 1) BRUNNEMANN in *Proc. conc. cred. c. 5. §. 26.* sed vide EUNDEM ad l. f. C. de pignor. n. ult. BEVTHER de iure prael. lib. 1. c. 56. seq. STRVV Exerc. 44. th. 49. HAHN ad *Wes.* lib. 42. tit. 5. HERTIVS in *Resp.* 87. n. 7. seq. LVDOVICI in *Concurs. Process.* cap. 10. §. 30.
- 2) HYBER c. 1. LAVTERBACH in *Coll. th. pr.* lib. 42. tit. 5. §. 39. SCHLITTE in *not. ad LVDOVICI c. 1. n. 4. & in diss. de eo qui posterior tempore potior iure.* c. 2. §. 6. & c. 3. §. 5.


§. XV.

AN? ET QVATENVS? PRIVILEGIUM EXIGENDI PECVNAE AD EMENDVM CREDITAE COMPETAT.

Sequitur quaestio de privilegio exigendi. Vbi statim ab initio



tio obseruandum est, de iis creditoribus sermonem non esse, quibus generatim ob pecuniam mutuo datam priuilegium exigendi leges dederunt. Quo pertinet *respublica creditrix* 1), & quorum referunt vulgo Doctores *ecclesias & pias causas* 2). His enim etiam ob pecuniam ad emendam creditam priuilegium exigendi generatim competere indubitati iuris est. Sed quid si is, qui ad rem emendam credit, priuilegio exigendi ob fauorem personae suae generatim non gaudet, num illi ex *causae creditique qualitate priuilegium exigendi* asseremus? Quod pecunia ad nauem comparandam credita *priuilegiata* sit, contra claras leges 3) nemo in dubium vocare potest. De reliquis vero rebus dubitatur. Quidam *priuilegium exigendi* ad solam pecuniam, comparandae *nauis* causa, creditam restringunt 4). Quidam id etiam ad *aedes*, non vero ad alias res, proferunt 5). Quidam ad *omnes res emtas* extendunt 6). Quidam tantum in *rebus immobilibus* saepe memoratum priuilegium admittunt 7). Nostra sententia eo redit, vt creditori, qui vel ad comparandum *praedium* siue *aedificium* sit, siue *ager*, siue *area*, siue *quid horum*, vel ad *militiam* emendam, pecuniam credit, priuilegium exigendi competat; non vero ei, qui ad *res mobiles*, excepta sola *nauis*, emendas pecuniam credit. Argumenta, quibus suffulti, hanc fouemus sententiam, haec sunt. In legibus 8) *pignori* ob creditam pecuniam ad comparandum *praedium* aut *militiam* emendam expresse constituto priuilegium datum est (§. 13. 14.). Nunc vero a *pignoris priuilegio ad priuilegium exigendi* s. *personale* valet consequentia (§. 7.); ergo pecuniis in nominatas causas creditis posterius quoque priuilegium recte vindicatur. Nec id priuilegium ad *aedes* solas restringere licet, sed de *quouis praedio* (§. 13.) accipiendum est, cum lex generatim de *praedio* loquatur, & c. 3. *Non. 97.* expressam *agri* mentionem faciat. Quod vero ad *res mobiles*, quarum in multis iuris articulis dispar ab immobilibus rebus conditio est, atti-



attinet, ex his sola pecunia, *navis emenda causa credita* privilegiata est, & quoad reliquas res id obtinet, quod in l. 5. §. 17. D. de tributoria actione scriptum est: *Plane, si in eandem tabernam mercēs deferebantur, licet hae, quae existēt, ex unius creditoris pecunia sint comparatae, dicendum erit, omnes in tributum venire, nisi fuerint creditori pignorate.* Nunc vero mercis appellatio, auctore VLPIANO, ad res mobiles tantum pertinet 9). Exinde quoque patet, quod exceptio in *navi* facta, tantum firmet regulam in rebus *mobilibus reliquis*, ut nempe pecunia ad has comparandas credita privilegiata non sit. Et huic consequens est, quod in cit. l. 5. §. 17. de mercibus decisum est. Neutiquam vero exceptio *navis* praecudicium facere potest in *diverso rerum genere*, nempe in *immobilibus rebus* s. *praediis*, ut in his quoque regula valere debeat, quod pecunia ad eas emendas credita non sit privilegiata. Privilegia quidem non temere in consequentiam trahenda esse, optime scio & probo, sed ubi certa iuris ratione desituti non sumus, ibi non temere, sed recte procedere arbitramur. Immo illi ipsi Doctores, qui hoc privilegium vnicē ad pecuniam *navis* emendae causa creditam restringunt, diffiteri non possunt, id secundum usum fori ad pecuniam emendae *cuiuscunque rei* causa creditam extendi 10): quam praxin in rebus *mobilibus* praeter *navim*, ego in theoria iuris haud fundatam censeo, uti ex antecedentibus constat. Ceterum ut creditor hoc privilegio exigendi gaudeat, secundum nostrum systema dicendum est, ea requiri, quae supra (§. 13.) in privilegio pignoris necessaria esse proposuimus, quatenus illa vnicē ad pignoris causam non adstricta sunt, sed *communia* haberi possunt. Requiritur ergo & hoc loco a) ut pecunia ad emendum sit credita b) *ante perfectam*, vel saltem *ante consummatam* per traditionem, venditionem c) ut pecunia vere in illam causam, sit versa; quod creditor, si negatur, probabit. *Reliqua requisita solam pignoris*



causam concernunt; quae si accurate obseruata non sint, ideoque *priuilegium pignoris* cesset, tamen *priuilegium exigendi* habebit creditor, modo ea adsint, quae ad hoc desiderantur. Denique & in eo differt *priuilegium pignoris* a *priuilegio exigendi*, quod in illo necesse sit, vt praedium comparatum adhuc existat (§. 13.) id vero in *priuilegio exigendi* necessarium haud videatur, quum hoc non *iuri in re* sed *actioni personali ex mutuo* cohaereat, haec vero rei pecunia credita comparatae interitu non extinguatur 11).

- 1) l. 38. §. 1. D. de reb. aut. iud. possid.
- 2) LVDOVICI c. l. §. 57. PVENDORF. T. I. obs. 158. §. 4.
- 3) l. 26. 34. D. de reb. aut. possid.
- 4) LAVTERBACH in cit. diff. §. 29. BALTHASAR c. l. p. 95. SCHLITTE ad LVDOV. c. l. §. 58. lit. y.
- 5) LEYSER Sp. 487. m. 5. 6. sibi tamen non constans Sp. 226. m. 11.
- 6) RICHTER c. l. c. 3. f. 4. n. 15. CAREZOV. P. I. c. 28. def. 155. ibique ESBACH.
- 7) BRVNNEMANN c. l. c. 5. §. 63. vbi tamen dubitatiue loquitur.
- 8) l. 7. C. qui prior. in pignor. Nou. 97. c. 4.
- 9) l. 68. ff. de V. S.
- 10) LAVTERBACH c. l. §. 29. ESBACH c. l.
- 11) ALCIATVS & DECIVS ad l. 25. D. de reb. cred. VANDERANVS c. l.

§. XVI.

IVS PATRIVM IN HAC MATERIA.

Absolutis iis, quae pro instituti ratione ex iure communi dicenda erant, progredior ad *ius patrium*. Reformatio Francofurtana 1) in doctrina de concursu creditorum a iure communi in principiis generalibus ipsis non adeo recedit, sed maxima tantum differentia se exlerit in numero & subordinatione classum. Illi enim, qui ex concursu aliquid petunt, connumeratis quoque his, qui *res suas iure dominii* vindicant, in decem, aut si mauis, undecim classes distribuuntur. Nam decima classis iterum diuiditur in duas partes, quarum prima, creditores personaliter priuilegia-

eos continens, excludit & praecedat secundam partem, credito-
 res simplices chirographarios continentem 2). Ius vero patrum,
 pignora tacita, privilegia pignoris & privilegia exigendi, iure com-
 muni data, non sustulit, sed ubique ad iura caesarea se refert,
 ideoque omissa & nominatim in Reformatione nostra non recensita,
 ex iure communi supplenda sunt 3). Igitur, quum in Reformatione
 nostra nullibi ei, qui ad rem emendam credidit, pignus tacitum, aut
 privilegium pignoris aut privilegium exigendi nominatim detur, omnis
 disputatio redit ad ea, quae supra exposuimus, iuris communis prin-
 cipia. Speciatim ergo privilegium pignoris in l. 7. C. qui prior
 in pign. fundatum, Francofurti quoque valet, & creditor tali
 privilegio pignoris gaudens in classe octava ante creditores hypothe-
 cam expressam simplicem habentes, collocandus est 4); ubi tamen
 requiritur, ut pignus in praedio comparato, praescripto apud
 nos modo rite constitutum sit 5); alias pignus cum privilegio nul-
 lum & inefficax esset; licet nihilominus tali creditori, ceteris
 paribus, privilegium exigendi eatenus competat, ut creditoribus
 chirographariis simplicibus praeratur (§. 13.). Ceterum, quam-
 vis privilegium exigendi in Reformatione nostra nominatim tantum
 ei, der fundelich und betweislich sein Geld zu Erbauung und
 scheinbarlicher Besserung und Erhaltung des Schuldners
 Behausungen, oder anderer Güter, fürgestreckt hätte, 6)
 adscribatur, dubium tamen non est, quin & alii casus ex iure
 communi addendi sint 7). Et tulit quoque ea opinio, quod is,
 qui ad praedium emendum, praesertim ad comparandas aedes,
 pecuniam credidit, privilegio exigendi gaudeat, calculum illustris
 Scabinatus Francofurtensis, uti ex sententia quae sequitur, con-
 stat.

1) P. 1. tit. 49.

2) cit. tit. §. 14.

3) Reformar. P. 1. tit. 49. §. 11. 12. P. 1. tit. 19. §. 1. & tit. 20.

§. 3. conf. illustris Commentator, Venerandus Senex, D. ORTHIVS




- in der 1sten Fortsetzung p. 447. seq. 450. 459. 463. 469. 480. & in der 4ten Fortsetzung p. 1118. seq.
- 4) Du. ORTHIVS in der ersten Fortsetzung p. 450. 480.
- 5) Reformat. P. II. tit. 18. & D. ORTHIVS ad h. tit.
- 6) Reformat. P. I. tit. 49. §. 14.
- 7) D. ORTHIVS in der 4ten Fortsetzung p. 1122. seq.

§. XVII.

PRAEIVDICIVM REFERTVR.

Sententia ab *illustri Scabinatu Francofurtensi* in caussa concursus creditorum D. & d. F. anno 1756. lata, quam aliquoties laudavi, his concepta est verbis: Die von B. Dahmens seiner unmittelbar verstorbenen Ehefrau modo deren Erben producirte und S. [90] act. iud. in Abschrifte befindliche Schulds Hypothec - Verschreibung nicht angesehen, mithin, in diesem Betracht einiges Vorrecht in Concurſu darauf nicht begründet werden; Vielmehr ist der Notarius S. weil er gegen den Inhalt des der Notariat - Ordnung beygedruckten, Raths - Conclufi vom 22. Octobr. 1720. in dieser Privat - Obligation eine vorgegangene anmaßliche Hypothec - Constitution attestiren, soz fort dem klahren Buchstaben hiesiger Reformation offenbahr zuwider zu handeln, sich nicht entsehen mögen, mit der Gemäßigen und in Zeit von 14. Tag bey Vermeidung der Execution zu bezahlenden Geld: Strafe von 10. Rthlr. zu belegen, dem Herrn Liquidanten hingegen gleichwohl in Ansehung dessen, daß der Vorschuß von 5000. fl. zum Ankauf des d. F. ischen Hauses hergegeben worden, ein privilegium personale hiermit erkannte, und hat daher derselbe seine vorzügliche Bezahlung an Capital und bisher aufgelaufenen Interessen vor allen übrigen unverſicherten creditoribus rechtlicher Ordnung nach zu erwarten.





V D
18

ULB Halle 3
004 087 81X



TA → OL







DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE

979
1772,8
16
PECVNIA
AD EMENDVM CREDITA
PRIVILEGIATA ET NON PRIVILEGIATA

QVAM
INDVLTV

ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
IN ALMA LVDOVICIANA
PRAESIDE

D. IO. CHRISTOPH. KOCH

ACADEMIAE PROCANCELLARIO
PROF. IUR. PRIMAR. ET COM. PAL. CAES.
PRO

GRADV DOCTORIS
RITE ET MORE MAIORVM OBTINENDO
DIE XII. MARTII MDCCLXXII.

H. L. Q. C.
PVBLICO PROCERVVM EXAMINI
SVBMITTIT

AVCTOR
IOANNES GEORGIVS FRIDERICVS RVMPPEL
MOENO - FRANCOFVRTENSIS.

GISSAE,
apud IOANNEM IACOBVM BRAVN, acad. typogr.
recusa MDCCLXXXII.